

Floriferos Pindi saltus, maternaque regna, &
 Dulces Phœbœi delicias nemoris
 Deferuit, miserans hominum genus ærumnosum,
 Et solus pubem venit ad indomitam,
 Nactus non cœtum, sed fœda armenta virorum,
 Atque merum squallorem, horridam & inluviem.
 Nullus adhuc terram ferro subigebat arator;
 Nemo usquam flavæ divitias Cereris,
 Palladios nemo succos felicitis olivæ,
 Aut Bacchi humorem noverat ambrosium;
 Nusquam urbs, aut patriæ sedes, privique Penates.
 Incerto passim per nemora hospitio
 Vitam infelicem tractabant more ferarum,
 Pars ripis fusi corpora flumineis,
 Pars querceta inter strati, glandemve legentes,
 Pars propter fœtus, o pudor! arbuteos
 Unguibus, & rabido miscentes prælia dente,
 Aut fuste alternis non sine vulneribus.
 Ah miseri! quum mens tenebris demersa latebat,
 Ignis ut immundo suppositus cineri,
 Nec scibant recti quid fons, quid limes honesti,
 Jusque, piumque, & mos, & decor, & ratio:
 Nec morem norant naturæ; corda micabant,
 Seu tonitru ex atris nubibus audierant,
 Seu valido perflata Euro silva alta sonabat,
 Littora seu fluctu pulsa dabant gemitum.
 Sæpe illi fuda Lunam quum nocte ruberet,
 Crediderunt sparsas sanguine habere genas;
 Sæpe etiam fero cedentem vespere Solem
 Clamarunt alto mergier Oceano,
 Mœrentesque diem magnis plangoribus alnum
 Ibant extremis quærere littoribus.
 Dulcis at arguti postquam sapientia vatis
 Pierium tacta carmen hiare lyra